

III. *De Diaphragmate fiso, & mutatis quo-rundam Viscerum Sedibus, in Cadavere Puellæ decem Mensum observatis, Epistola.*

RICHARD MEAD  
JOHANNES FOTHERGILL S.

*Read June 16.  
1745-6.*

Q UUM non ita pridem de casu quo-dam, ut mihi videbatur, omnino singulari, coram te verba facerem, ipse auctor eras, vir clarissime, ut integrum rei historiam literis consignarem. Consilio igitur tuo morigerus opus aggressus sum; eoque lubentius, prout mihi persuasum est, id minus ingratum multis fore, si in publicum prodiret, quod tibi privatim non displicuisset. Tantum siquidem & merito ab omnibus tribuitur illius auctoritati, cui nihil antiquius, optatius nihil, quam bonis quibuscumque artibus, de civibus suis, de humano genere, optime mereri.

Quo autem clarius tota res patescat, ab ovo, ut dicitur, exordiri animus est, corum omnium historiam exponens, quorum testis eram, fide, simplicitate, quâ possim, maximâ.

Fœmina generosa 2 i circiter annorum, tam ingenio acri & vivido quam forma spectabilis, habitus proceri & gracilis, temperiei ad sanguineam vergentis, firma satis, ut plurimum, sanitate felix, quinto post conceptionem circiter mense, primò prægnans abortuji fecit.

P. 2

Magno

Magno suo malo id ei contigit, dum in cognati villa longe a suis dissitâ hospitio excipitur. Proxima, re jubente, obstetrix advocatur, quæ artis cum primis ignata, & duris tantummodo ruricolarum ilibus asseruta, uterum tenellulæ eousque duriter tractavit, ut ex vasis laceratis immane adeo sanguinis profluvium exciverit, quantum ars sistere non valuit, usque demum donec gravissima superveniens *Leiopyschia* tam fluidorum motum, quam solidorum vim, imp̄äsentiarum sustulit.

Tandem vero revixit, atque ita convaluit, ut ore ac membris in pallorem albentibus, ostentui esset multum vitalis spiritus egestum.

Ex tantis autem malis vix, & ne vix quidem eluctata est, antequam de novo fit grava. Misera vero sorte, quā per totum graviditatis decursum affligatur, referre piget; gravissima namque mala, quæ uterum gerentes exercere solent, hæc nostram & pessime exercuerunt.

Puellulam tamen & suo tempore enixa est, cuius ad historiam, rebus maternis feliciter compositis, quoad morbos, mortem, & cadaveris sectionem, pertinuerit, referendam me accingo.

Recens natæ forma culpa omni carere videbatur: parvula erat & pusilla, cuiusque cutis justo flaccidior, & aliquatenus rugosior, se suo nutrimento parcus potiam testabantur; quod nemini matris historiam penitus mirum videbitur.

Respiratio a principio ei erat justo paullulum frequentior, paucisque post diebus accedit, tanquam a correpto frigore, gravedo, cum ingenti laticis mucosi ex ore, & oculis, & naribus profluvio, quod quoties ubera nutricis ducere coacta est, fere spiritum infantis præclusit.

præclusit. Et hinc sæpius lachrymæ, hinc etiam iræ, graviores quidem quam adeo teneræ ætati contingere solent, quæque sæpius præsentibus metum injecerunt, ne, cum furore brevi, simul & extremum halitum efflaret.

Commodis vero medicamentis, alvum præcipue leniter ducentibus, a gravedine utcunque liberari videbatur: viribus etiam cum mole pedetentim austis, in spem adducti sunt parentes olim delicatulæ sanitatem magis constantem fore.

Sæpius tamen quam in pierisque aliis infantibus solet, ex improviso vomitio eam corripit: ejecta nec cibum crudum referunt, nec coctum, sed pultem quasi purulentam, interdum acidum, sæpe fetidum redolentem: dejectiones etiam justo frequentiores & ejusdem omnino indolis erant. Respiratio interini frequens, laboriosa, noctuque difficillima. Hæc et magis integræ salutis spem minuebant, quo minus auscultabant remediis, quæ in hujusmodi malis plerumque opem ferre solent.

Septimo tandem circiter mense, exanthemata quædam sive tubercula per faciem imprimis, deinde per collum, humeros, thoracem & ad extremos, manuum digitos, disseminata sunt. Erant rotunda, puliculæ instar morsûs lata, rubentia, duriuscula, pruritu molestissima, sensim in vesiculos parvas, sero tenui pellucido tandem repletas, elevata: quæ in squamas furfureas tandem exsiccata, decidebant, relictis vestigiis livido-rubellis diu permanentibus.

Hæc in conspectum venerunt paucorum post dierum febriculam; quum vero neque ortu, neque decessu justum aliquem typum servaverunt, pruriebant demum infensissime, & nova semper seges demessam subsecuta est, diuturnum fore malum existimabam, altiusque

altiusque radices egisse, quam quæ febre inordinata eruendæ forent: quinque exanthematum prorum-pentium vis atque pruritus indies augeretur, ab impuro aliquo hospite, vitium humoribus inferente, morbum incrementa capere putabam. Ad purgantia itaque mitissima, acidum aut acre obtundentia, eaque quæ ad viscidum solvendum apta viderentur, confugi; & ne forte violùs ratio, quanquam nutrici optime, minus tamen molli alumnuæ competeret, utrasque non nisi juseculis, carnibus tenerimis, & id genus coctu facillimis alendas iussi. Hinc tuberculorum numerus, pruritus, cæteraque mala brevi diminuta fuerunt; atque dubia hucusque salus quodammodo stabilita.

Decimi vitæ mensis initium attigerat, quum parentum iussu nutrix parvulam ablactare fatigit. Hoc sine magna molestia tulit: die sexto, propter alvum paulo astrictiorem asfuetum sibi solutivum haufit, unde bis dejecit, & bene se habuit.

Sub vesperam enormi vomitione corripitur, ex nulla quantum patuit causa oriunda, quæ sine ulla fere intermissione missellam lacescebat, donec tragœdiâ per 24 horas circiter actâ, vita brevis scenam clausit.

Cuncta, quibus usæ est medicamenta, singulatim reffere haud opus est. Tam notis plerisque, quam novis auxiliis, intus, foras, novo & pertinaci malo obviam itum est. Præ aliis per totum vitæ (nam & idem erat morbi terminus) decursu, profuerunt tintura rhabarbari ex aqua cinamomi tenui parata, parca & saepius repetita dosi exhibita; & linætus ex oleo amygdalino, syrupo pectorali & sapone paucissimo confectus. In ipsis vero extremis angoribus ad vomitum sedandum adhibita sunt ea quæ acidum aut

acre

acre temperare, obtundere solent; aromata grata, mi-  
tissima, anodyna, demum & ipsa soporifera, at  
frustra omnia: alvus interea nec sponte soluta est,  
neque ullis cessit irritamentis.

Atrociis morbi causas atque sedes rimari animus  
erat; quod, impetrata venia, postridie aggredior;  
priusquam vero ad dislectionem manus admoveo,  
præcipuorum symptomatum conspectum, quibuscum  
a carceribus ad metam usque colluctabatur, coram  
sistere haud forte absolum videbitur.

1. Pulsus nunquam non turbatus erat, parvulus,  
tremulus, frequentissimus.

2. Respiratio semper naturali crebrior, noctu quam  
interdiu difficilior.

3. Id quoque observandum, quo laxior amictus,  
etiam interdiu, eo crebrior respiratio; quanto vestis  
arctior thoracem & abdomen cingens, tanto erat re-  
spiratio naturali similior.

4. Decumbenti etiam eadem actio difficilior; inde  
evenit, ut postquam primum carpisset somnum,  
cætera noctis pars plerumque sedenti in gremio nu-  
tricis abiit.

5. Tussis, inquietudo, febricula, plus minus, dum  
ad sanitatem proxime accedere visa est, noctu aderant,  
& semper quam interdiu molestiores.

6. Vomitiones frequentes sine causa evidenti  
sæpius eam fatigabant: egesta, cruda, & varia; nunc  
acida, nunc putrescentia, subpinguis, fetida.

7. Dejectiones sursum egestis simillimæ.

8. Carnium quolibet modo præparatarum odor  
vomitiones crudeles haud raro ciebat; tanto tam-  
que infelici sensu prædita erat.

9. Quoties alvus astrigior, toties major aderat ad vomendum proclivitas; at ventris fluxus quandoque enormis & diutinus plus damni intulit, quam vomitio.

10. Urinam insigni imbutam esse acrimonia docuit odor, spiritus instar urinosi plerumque acris: linteamina colore flavo tingebantur.

11. Et cutis quandoque simili tintura suffusa est.

12. Humor iste, qui pone aures infantum excerni solet, in nostra etiam maxime fetidus erat.

13. Ingenium ei erat mite, placidum, & malorum patiens: si quando autem accensa esset ira, mirum quantum excedeseret: pari tamen celeritate extinguebatur, alioquin a suffocatione illico periisset.

Crederet, opinor, unusquisque rerum medicarum gnarus, ex historia jam tradita morbum esse insolitum; vim ventriculi imprimis labefactatam; turbatas secretiones, vitiatum sanguinem, pulmones male functos officio; forte & hepaticus culpa non caruisse. Quis vero unquam conjecturis asseditus esset divisum fuisse septum transversum; per ejus rimam in ipsa pectoris penetralia ventriculi amplam portionem & intestinorum partem insignem irrupisse? Hæc vero & plura docuit ipsa cadaveris dissectione, quam postero mane, comite *H. Delanoy Pigot*, chirurgo *Wansworthiensi* perito, institui.

Corpusculum exsuccum, & mirum in modum unius Νυχθημέρας intervallo exinanitum lustramus. Quoad partium formam & magnitudinem omnia recte, nisi quod thorax naturali longior videretur & angustior: costæ siquidem, minus quam solent oblique positæ, ad corporis axin rectius spectabant.

ilia sinistra livor occupaverat, tanquam gangræna fuissent affecta: circa humeros & brachia haud paucæ vesiculæ cernebantur; quarum aliæ liquore rubello, aliæ viridescenti, flavescenti aliæ scatebant.

Divisam cutem, musculosque tenues subtus jacentes tunica cellularis omni omnino adipe vacua intercurrebat.

¶ Ventre aperto, inferior omenti margo ne vel minima fæta pinguedine, vixque ad umbilicum protensa in conspectum venit. Intestinorum etiam tenuium portio, imusque ventriculi fundus; deinde hepar magnum pallescens; sub cuius costa latebat vesica fellea, ampla, turgida, fundo sursum, cervice deorsum rectius quam in sanis solitum spectante. Hæc forfice reclusa bilis spissæ, nigricantis ferme fuscunciam effudit: at quanquam ex plaga patula haud sine pressura; usque adeo crassæ tenaxque erat. Vicina omnia summa flavedine tingebantur. Ileon intestinum hinc inde inflammari videbatur: Colon suo loco absuit: splen, renes, reliqua, sana.

Rescissis deinde cute musculisque, caute sternum ad jugulum usque dividimus. Ast diductis plagæ marginibus, spectaculo, quantum novi, nunquam antea viso, percellimur. In sinistrum quippe pectoris antrum, magna ventriculi portio fese intruserat, tam pulmonum lobos, quam ipsum pericardium, & in eō cor, ex integro abscondens.

Diducto tandem ventriculo, quid subtus lateret inspecturi, ilei partem tres circiter palmas longam; cæcum, ejusque appendicem, una cum coli portione haud parvâ, omnia uno eodemque testa hospitio detegimus.

Rei novitate commotus, omnia rursus intucor; anceps ne forte vulnus inter secundum diaphragmati inflictum visceribus portam aperuisset. At inspectio quam maxime accurata dubium omnino sustulit; docuitque id olim fissum, divisum vel perruptum fuisse: nam septi hiantis margines perfecte occalluere; neque ullibi conspicienda erant plagæ recentis indicia.

Quum itaque constabat nullam a nobis diaphragmati illaram fuisse vim, cuncta in locis quibus antea collata erant studiose reponimus, singulatim omnia et adhibita diligentia lustraturi.

Septum transversum ab osse sterno, et cartilaginibus anterius diremptum, et ad centrum usque tendinosum, divisum, retractumque, arcum lunatum tensum formaverat; cuius cornua ad costarum fines cartilaginosos, dextro latere sterno proprius, remotius sinistro, pertingebant: sicque sinus effectus est inæqualis, sinistro quam dextro latere patentior.

Per hunc amplum sinum, sublata viscera, in sinistro thoracis angulo, inter costas et cordis apicem tutas adeo adepta sunt latebras, ut neque proprio pondere, neque valida succussione, neque mutato, quacunque denum ratione, corporis situ, in pristinas sedes unquam deduci potuisse judicabam: In *pristinas* dico, quoniam primitus ante partum sic sita fuisse haud temere credendum est. In ipso etenim partu malum accidisse, plurima sunt quæ, ut ita credam, faciunt.

Saccus ille ventriculi, qui ingesta per œsophagum immediate accipit, multo quam solet amplior, suum locum obtinebat; solito etiam pallidior et tenuior: reliqua pars sursum protrusa, deinde oblique retrorsum,

sum, supra septi arcum elevabatur; in ipso tamen transitu a margine septi angustatum notavimus.

Has tandem emensus fauces in amplum satis utriculum rursus excrevit; qui arcuato septo, tanquam scanno incumbens, omnem pectoris sinistri ambitum sibi vindicabat. Corculum interea, nam tale revera fuit, supra ipsam dorsi spinam detruserat; pulmonumque lobos ejusdem lateris eousque coarctaverat, ut omnino sedibus pulsos, aut nulos fuisse, pene crediderimus.

Pylorus ex hoc utriculo juxta tertiam costam emergens, et sinuosâ flexura deorsum vergens, in duodecimum abiit; quod, qua parte septi jugum in descensu transivit, et ipsum coangustari debuerat, quotiescumque ventriculus aut cibis aut flatibus intumuit. Quumque ita a naturali cursu devium aberrare necesse habuit, nil mirum si ductus communis biliarius, a recto intestini itinere tensus et fere connivens, suo semper munere fungi non poterat: hinc cutis, hinc urina quandoque discolores; et hinc sine bile dejectiones.

Tubi intestinalis anfractus pressé sequentes iterum in thoracis antra ducimur: nam supra ipsum dia phragma, et pone ventriculum, portio ilei aliquot palmas longa convoluta delituit: exitum finemve quarentibus in conspectum venit appendix vermiformis, et cæcum fecibus distentum, amplum, incumbente ventriculi mole compressum, ejusque nisu extremo antri angulo adaptatum: denique annexa coli pars circiter dimidia, crebris et profundis sinubus notabilis.

Qua parte colon tensum septi limbum superabat, id tantum non abscissum invenimus; nam ventriculus saepius repletus, cedentis intestini latera contra

membranæ renitentis marginem obſiſtens, ea ita attriverat, ſeu premendo anguſtaverat, ut ne quidem fecibus crassioribus trajiciendis aptum videbatur.

His demum attente perſpectis, cætera ejusdem cavi contenta exquirere ſategimus; et ſub firma tectos membra, quam mediastini parietem eſſe ſinistrum judicavimus, pulmonum lobulos detegimus, arctiſſime poſticæ thoracis regioni undique non adhærentes modo, at firmiter agnafcentes dudum officio ſuo defuſfe videbantur. Plexus præterea fibrarum validus, ex membrana cellulosa quaſi contextus, totam lobulorum compagem, pleuræque superficiem ſic intercedebat, ut nulla ratione ſeipſos expandere valerent pulmones, ſi a tergo liberum moyendi ſpatium permifſiſſent intestina et ventriculi portio.

Alterius deinde lateris cavum excutimus, et pertuſa membrana firma, quam pro altera mediastini plica habuimus, pulmo dexter ſanus fatis et integer ſeſe prodiſit; quiq[ue] proculdubio utriuſque munere diu perfunctus eſt.

Paulo infra pulmonis marginem inferiorem, ſupra diaphragma, ſaccus erat quaſi ex membrana cellulari conflatus, qui, forfice apertus, binas circiter uncias liquoris flavo-viridantis, albuminis instar gelatinosi, loculamentis membranaceis contenti, profudit. Num ex hoc fonte profluxerat iſta ſanies, quæ indomabilem tuberculorum vim, faciem, collum, cæterasque partes fedantem, enutriverat? Ita quidem verofimile videtur; nam liquidi in utrisque color idem erat.

Pericardium proxime reſeratur, quod et iſum liquore ſimiſi ſcatebat: effluxit quippe ex apertura ad duas fere uncias humor deſcripto, modo paullulum tenuior magniſque flavescent, ſimillimus.

Cor erat exiguum, tactui durum, et in bina æqualia quasi loculamenta discretum : hic enim auricula dextra sanguine distenta, vix cordi magnitudine cederet ; ibi ventriculi crux atro paucō crassissimo farcti : inter utrosque vinculi partes agunt vasa coronaria, cordis basin arcte adstringentia.

Ex secta auricula crux aterrimus, spissus, corio tenaci apertus exprimitur ; ipsius facci latera ex venulis varicosis livescentibus tantum non constare videbantur.

Sæpius inter secundum tam casu, quam dedita opera, majores venas pertudimus at nunquam alias, tam parum sanguinis effluxisse memini, isque erat crassus et niger, tanquam sero omni et diluente lympha orbarus.

Lustratis jam et sua sede visceribus, ventriculum eximere partemque intestinorum libitum est, ut quantum ad formam situmque mutata essent, exploratum haberem : dum vero manus operæ admoveo, leniterque ventriculi fundum prehendo, ecce omnino putris, et ne tactus quidem levis patiens, pars ima intra digitos colibafcit.

Nulla aderant inflammationis gangrænosæ indicia ; non rubor, non striæ, nulla stigmata livescentia : omnis albore pallet, et sic tam nulla vi in tabem deflebat, ut potius acribus erosam, vel humidis laxatam fuisse compagem, quam gangræna corruptam judicarem.

Nec intuenti ventriculi situm hoc absonum videbitur. Heic enim ex imo visceris hujus fundo, ad summum pylori jugum, ascensus omnino acclivis : in nostra etiam sublata erat vis septi renitens, cuius ope in altum attolli unice valuerant ventriculi contenta :

plus

plus itaque laboris musculis ventris solis peragendum erat, quod quam in aliis peragitur, sociato diaphragmatis nixu. Ingesta proculdubio suam sequi indolem, faveente mora et quiete debuerant; quibus conditionibus si addamus perpetuum humoris gastrici stillicidium in unum quasi ventriculi punctum, tam vomitus funesti ortum, quam putredinis causam perspectam habere possumus.

Hinc quoque manifestum erit, quare noctu quam interdiu procumbens quam erecta, laxe quam arcte vestita, pejus se habuit: et quantas anxietates, ægritudines, et molestias, pati oportuit, quoties situs horizontalis, habitusque parum strictus, ascensum facilem cibis in pectora præbuere? Cor ipsum mole prægravari necesse erat; luctamque dubiam contra hostes irruentes solum sustinere.

Tradita hucusque rerum historia symptomatum explicationem promptam, ni fallor, reddidit, ideoque mihi supervacaneam: superest tantum modo, ut aliqua, quæ in mentem mihi sæpius morbum immedicablem pensanti venerunt, at paucissimis, referam.

1. Patet enim imprimis, animal possit vivere, vegere, lætari, et quodammodo valere, cui finditur vel disrumpitur diaphragma.

2. Ideoque minus huic metuendum, in pectore pertundendo, quoties empyema aut hydrops remedium anceps experiri suadeant.

3. Ita affectum esse diaphragma, (i.) si ampla hiansque plaga fuerit, forte dignoscendum, ex ipsa thoracis figura productiore, minus obliquo costarum situ, et læsa simul respiratione.

4. In morbis infantum, quorum natura videatur reconditor, ex accurata partium externarum contemplatione, indagine, fortassis aliquid lucis elici queat: ideoque nequaquam prætermittendum.

5. Quotiescunque tubercula, pustulæ exanthemata, singularem aliquam corporis regionem occupant, ibi subitus, in vicinia, malum fomitem latere suspicandum.

Ita tandem casum, nulla arte sanabilem, et forte nimia diligentia exposui; id vero ægre te laturum haud quidem existimo: nollent enim nescire cordatores in arte viri, quibus ex causis præmatura mors superveniat, quotiescunque cadavera lustrandi copia conceditur: ipsos etenim medentes non solum rerum gñaros peritosque reddit, verum etiam tam orbatis dolorem minuit, quam dedecus aufert arti, palam perspectum habere, nullis remediis, nulla ope, ne quidem tua, supremam sortem potuisse protrahi.

Vale, vir candide, diuque felix orbi intersis, bonarum artium patronus, medicæque juventutis pater atque princeps.

*IV. A Letter from Mr. Wm. Arderon,  
F.R.S. to Mr. Baker, F.R.S. on keeping of  
small Fish in Glass Jars: And of an easy  
Method of catching Fish.*

*Read Jan. 16. 1745-6.* **I**N the Beginning of September 1744. I procured a small *Dace*, about an Inch in Length, which I put into a glass Jar, that held